

## Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per  
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi  
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

**Prielee, Gilles vanden**

**Parisiis, 1567**

FERIA QVINTA HEBDOMADAE SECVNDAE QVADRAGESIMAE, Epist. Hier. 17.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295**

FERIA QVINTA

vos gladio pugnare, sed verbo diuino, ad Tit. 1. Ut potius sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Quare ex mea vita exemplum sumite. Ego Dominus cæli & terræ omnium vestrum sum factus seruus: præbete ergo etiam vos erga omnes faciles, &c.

Soler hoc loco disputari ea quæstio, num scilicet iniquè agant parentes, qui suis liberis dignitates procurant, aut Ecclesiasticas, aut ciuiles, de qua vide August. Epist. 121. To. 2. Item Prosperum libr. 3. de Vita contemplatiua cap. 28.

FERIA QVINTA HEBDOMADAE SECVNDAE QVADRAGESIMAE,  
Epist. Hier. 17.

*Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, &c. Finis Epistolæ: Ego Dominus scrutans cor, & probans renes: qui do unicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinventionum suarum.*



Ac Epistola tria proponit Propheta. 1. Primò, Ostendit in quo potissimum hominis sit cõstituta damnatio, & maledictio: in eo scilicet, quòd confidit in homine, ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Hæc faciunt, qui confidunt in virtute sua, Psal. 48. 117. Prouerb. 11. suam volunt statuere iustitiam, Rom. 10. & iustitiæ Dei nolunt subiici, Roman. 10. Huiusmodi quàm graui & horrèda sequantur supplicia, scripturæ testantur: nam à gratia exciderunt, qui in lege iustificari volunt, id est, qui sine Christo propriis viribus salutem assequi nituntur, Galat. 5. vt in iis glorientur. Inimici Dei constituuntur qui voluerint amici esse huius seculi, Iacob. 4. Dominus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent, Psalm. 52. Tales olim fuere. Philosophi, Iudæi, Pelagiani, Pseudoapostoli, hypocritæ, & Anabaptistæ, qui excæcati propria malitia, laborantes ignorantia veritatis, & concupiscencia rerum noxiarum, euauerunt in cogitationibus suis, & dicentes se esse

*A gratia exciderunt qui iustificari volunt in lege volunt.*

sapientes, posuerunt carnem brachium suum, dum scilicet, in carne gloriatur, id est, in rebus carnalibus, quos rectè inimicos crucis Christi vocat Apostolus: quum non oporteat eum, qui gloriatur, in alio, quàm in cruce Domini nostri Iesu Christi, gloriari: alioqui, ut minatur Propheta, erunt quasi myrica in deserto, non videbunt quum venerit bonum, & habitabunt in siccitate in deserto, in terra saluginis. Quibus metaphoris significat Propheta omnem eorum iustitiam, qui sine Christo iustificari voluerunt, fore rem futilem & abiectissimam, ut est Isa. 59. Qua aspidum ruperunt, telas araneas texuerunt. Telas eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis, opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Est enim myrica, herba humilis & abiecta, quæ solo arenoso & sterili delectatur, maleficis ad odia concitanda in usu: sic impij, qui licet hic exaltentur, ut Cedri Libani, deficientur, nec videbunt gloriam Domini, Isa. 26. Sed proiciuntur in tenebras exteriores, post mortem scilicet, ipsis & auxilio gratiæ celestis, & occasione bonarum operationum sublati, ac flumine illo cuius humore fecunda sunt fidelium pectora ad producendos virtutum fructus, obrurato, in salugine desperationis perpetuo permansuri, Psal. 103.

*Christi in cruce maxime gloriantur.*

*Myrica quid.*

2. Secundò, Per locum à contrario describit felicitatem eius qui cõfidit in Domino. Huic enim erit Dominus fiducia, illuminatio, fortitudo, firmamentum, & liberator. Is autem dicitur in Domino confidere, qui, deposita omni opinione propriæ sanctimonix, totus à Deo pendet, non contentus, aut propriæ conscienciæ, 1. Ioh. 3. aut adulantis vulgi testimonio, sed etiam, si omnia quæ præcepta sunt fecerit, se totum tamen in Dei prouincit misericordiam, dicens cum Propheta, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Psal. 139. Ille intelligit veritatē, & fidelis in dilectiōe acquiescit illi, Sap. 3. deposita, ut loquitur Apostolus ad Philip. 3. omni, quam ex carne, id est, rebus carnalibus, quæ spiritu Christi destituuntur, fiducia, ut inueniatur nō habere suam iustitiam quæ ex lege est, sed eam, quæ est ex fide Iesu Christi. *Erit enim hic, ut habet Propheta, quasi lignum*

*Felicitas hominis qui cõfidit in Domino, quæ.*

quod transplantatur super aquas, Psalm. 7. 22. scilicet gratia spiritualis, qua fit, ut de ventre eius fluant aquae vitae, Iohan. 7. Quod ad humorem mittit radices suas, id est, omnium actionum suarum intentionem ad Christum dirigit, qui est fons patens in ablutionem peccatorum, Zachar. 13. Non timebit, quum venerit aestus persecutorum, & aduersitatum, quia non contristabit iustum quicquid illi acciderit, sed gaudebit sciens quid tribulatio, patientiaque operatur, Rom. 8. *Erit solum eius viride*, id est, tota vitae ipsius actio gratia virtutum ad aedificationem proximi ornata, ita constans, ut nec eleuetur prosperis, nec frangatur aduersis, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec desinet facere fructum, sciens inutilem seruum, qui Domini pecuniam non dedit ad usuram, proiciendum in tenebras exteriores, Luc. 12.

*Inutilis ser-  
uus Domini  
qui pecuniā  
suā nō dedit  
ad usuram.*

Matt. 25. Elegans antithesis, qua opponitur hominis vere iustificati, & in solo Deo fiduciam habentis felicitas, miseriae infidelis. Ex qua contra nostri temporis aduersarios confirmare licet, opera iustorum, & eorum qui ex fide in Christum opera exercent virtutum iustitia, mercedem accepturos. Siquidem, Apostolo teste, non est iniustus Deus ut obliuiscatur laboris nostri, Heb. 6.

*Opera fide-  
lium qua.*

Sunt itaque opera fidelium, (Nemo enim, secundum Augustinum, computare bona opera potest ante fidem, in praef. Psalm. 31.) & eorum qui confidunt in Domino bona, iusta, & sancta, aeternae vitae meritoria, in quodum à spiritu Christi fidelem inhabitante proficiunt talia, ut possint ex iustitia in iusto Dei iudicio, quod secundum aequitatem reddet unicuique secundum opera, mercedem expectare, quod metaphoricis exprimit Prophetam, dum ait, *Non timebit quum venerit aestus. Erit enim solum eius viride*, & in tempore siccitatis non erit sollicitum: quanquam enim cesset cum morte bene operandi facultas, permanet tamen actuum virtutum & fidei virore ex merito Christi permanentis.

Cor hominis 3. Tertiò, Neque falsa persuasione putaret se statim imprauum non se securum posse, si animo suo fiduciam aliquam de Deo natura sua, concepisset, docet Prophetam non esse humani iudicii, ea sed vitio prius de re pronuntiare. Est enim cor hominis prauum, & inferum paritatis, tabile non natura sua: creauit enim Deus hominem rectum,

ut voluntas Deo in omnibus obediret, nec à se ipsa dissentiret, sed vitio primi peccati, quo tota est lesa natura, cordis illa prauitas accessit, adeoque excreuit, ut ipsi etiam homini sibi subinde parum notus sit animus. Vnde exclamant sancti, Ab occultis meis munda me Domine, Psal. 18. Maior est Deus corde nostro, & nouit omnia, 1. Ioh. 2. Quò sit ut nemo sciat amorè an odio dignus sit, Ecclesiast. 9. non tam propter occultum Dei iudiciũ, quàm propter latentè cordis humani prauitatē. Quare ineptissima est illa de speciali fide, aut certa fiducia in Deum, doctrina: debet enim fideles, iuxta Pauli doctrinam, ad Phil. 1. cū timore & tremore suā ipsoꝝ salutem operari, ex fide credere, & sperare in misericordia Dei, ut docet Aug. lib. 1. de prædest. sanct. cap. 11. Neque verò propterea docemus, aut desperationem, aut diffidentiam ex verbo Dei & diuinis promissionibus certissimè concipiendam: etsi enim illæ in se certissimæ sint, proponuntur tamen sub conditione: certissima quidem est promissio de vita æterna, de remissione peccatorum, sed quæ nulli contingent, nisi seruantibus mandata, sicut innumeris locis docent scripturæ, Matth. 9. & 11. Iohann. 4. Zach. 11. Iohann. 10. Quare rectè docemus fide, & spe animum esse ad Deum erigendum, credendum verbo Dei, sperandum in multitudine misericordiæ nominis eius, virtutibus animum excolendum: atqui nunquam præsumendum. Si enim Apost. qui nullius sibi conscius erat, in hoc tamen non audebat se iustificatum præsumere, nec seipsum iudicare. Qui enim iudicat me, Dominus est, inquit, 1. Corinth. 4. Multò minus certò nobis est præsumendum, quum cordis nostri latebras inuestigare nequeamus. Siquidem solus Dominus est qui probat corda, & renes, & reddit vnique secundum viam adinventionum suarum: quia enim fons humanarum operationum, autore Christo, Matth. 15. Est cor primum ad malum ab adolescentia sua, Genes. 6. & renes impudiciæ fomitem subministrant, ostendit Prophetæ mala esse ea omnia, quæ ex his duobus profisciscuntur: ac proinde iudicio Dei obnoxia, nisi gratia remissionis deleantur.

*Fideles cum timore salutem suam operari debent*

*Fide & spe animus ad Deum erigendus.*

*Dominus solus probat corda & renes.*

FERIA QVINTA  
FERIA QVINTA HEBDOMADAE  
SECVNDAE, EVANGELIVM,

Lucæ 16.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, &c. Finis Euangelij: Si Moſen & Prophetas non audiunt, neque ſiquis ex mortuis reſurrexerit, credent.



Ex præſenti-  
bus rebus fu-  
tura cōditio  
nō metienda.

Vestitū vsus  
luxui serui-  
re nō debet.

QVIA sic comparatū esse videmus, vt ex præſentium rerum ſclicitate, aut inopia æſtimare ſoleant homines futuram conditionem, vt ſcilicet, omnes diuites beatos, contrā omnes pauperes miſeros & irē filios reputēt: oſtendit hoc Euangelio Chriſtus ex præſentibus rebus futuram conditionem non eſſe metiendam. Proponit itaque quatuor.

1. Primò, Duorum hominum & vitam, & mores, diſparem, nempe, diuitis, in maxima rerum omnium ſclicitate & luxu: nam induebatur quotidie purpura, & byſſois enim erat diuitis huius ſuperbi affectus, vt ex fruitione opum, quaſi ſupremam ſclicitatem metiretur, non habens aliquam in veſtitu perſonæ, conditionis, dignitatisque rationem: ſiquidem veſtium uſus à natura conceſſus, neceſſitati & conditioni pro vtilitate Reipublicæ, non luxui ſeruire debet: alia enim Regi, Principi, Duci, Senatori, priuato, plebeioque veſtis conuenit. publicos enim decet dignitatem, quam ex Dei vocatione ſuſtinent, tueri: quæ ratio in priuatis hominibus locum non habet. Damnatur ergo in hoc diuite, non rerum uſus, ſed turpis abuſus. ſiquidem non contentus veſtium deliciis, addidit gulæ cupedias, quibus & effrenem, laſciuamque concupiſcentiam, ſatis per ſe in omnem libidinem irruentem prouocaret. Nam epulabatur quotidie ſplendide, & delicatè, quaſi dicat, cum diuitiarum comes ſit luxus, huic Deus vëter erat, hūc coluit iuxta Iſa. 5. cythara, lyra, tympano, tibia, & vino. & pauperis, in ſumma rerum omnium indigentia: nam iacebat ad

ianuam diuitis vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ caderent de mensa diuitis, & huius vlcera canes lingeant. Hæc si quis humana solum ratione perpendat, quis non iudicabit hunc (maximè si aliquam existimet esse rerum inferiorum apud Deum prouidentiam) omnium fuisse infelicitissimum, quando huic mala acciderint, quasi, iuxta Ecclesiasten cap. 28. opera egerit impiorum? Neque enim sola paupertatis cruce acerbissima, sed ægritudinis, miseriæ quoque premebatur, adeo ut sicut illo diuite nemo felicitior, ita hoc nemo miserior iudicari poterat. Caterum, quum non fortuito, aut casu, sed singulari Dei Optimi Maximi prouidentia, & diuitibus, & pauperibus aequè accidunt. Nunquam cogitabit diues sese ob diuitias felicem, aut Deo gratum, & pauper ob paupertatem à Deo desertum. Sunt enim & diuitiæ & paupertas, res adiaphoræ: sola verò iustitia aut iniustitia, est quæ hominem Deo conciliat, aut inimicum constituit, necnon & eorum mortem, quæ vtrumque dispar est subsequuta. Nam pauperi, terminus erat omnium miseriarum, laborum, famis, & cruciatuum, sed diuiti finem attulit voluptatum, deliciarum, conuiuiorum. Statutum est enim hominibus semel mori, & post hoc iudicium, Hebræo. cap. 9. quò scilicet decerneret præmia vitæ æternæ iustis, & pœnas gehennæ impiis. Iustus enim est Deus, nec potest obliuisci operis nostri, & fidelis, ut non patiatur nos teterari supra id quod possumus: Ideo Lazarus, qui magna fortitudine & patientia duræ paupertatis telù sine inuidia superauerat: Laudabilis enim paupertas cum timore Dei, Prouerbio. 15. ut quia socius passionis fuerat, esset & consolationis. Si enim compatiuntur, & conregnabimus: & diuitem immitem, superbum, omnibus voluptatum illecebris disfluentem, sperantem in incerto diuitiarum, impium, securum, quasi iustorum opera habentem, quum duceret in bonis dies suos, tenentem tympanum & cytharam, ex hac vita euocat, sed ita ut illum ab angelis deferri iuberet in sinum Abrahæ: Sunt enim iustorum animæ in manu Dei, ut non tangat illos tormentum mortis. Nam oculi Domini super hunc inctuentem Deum, ut

*Diuitiæ & paupertas res adiaphoræ.*

*Paupertas laudabilis cum timore Dei.*

*Iustorum  
ossa ita De  
custodit, ut  
vnum ex iis  
non contera  
tur.*

erueret à morte animà eius, & aleret eū in fame. Custodit enim omnia ossa eorum, ut vnum ex iis nō conteratur, Psal. 32. 33. Sap. 3. Nam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorū eius, Psal. 115. & hunc mortuum & sepultū, atque in inferno constitutū horrenda illa statim subsequerentur tormenta. Iudicium enim sine misericordia illum decebat, qui nō fecerat misericordiā cū proximo suo, Iac. 2. Cōperit enim huic illud Eccl. 8. Vidi impios sepultos: qui quum adhuc viuerent, in loco sancto erāt, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum.

*Bonorum o-  
pe: ū merces  
reposita est.*

2. Secundò, Hisce duobus exemplis quum docuisset rebus præsentibus sic esse vtendum, ut in vsum pauperū nobis eas esse collatas agnosceremus: ac proinde bonorum operum mercedem esse repositam vitam æternam, sicut ex ipsorum neglectu diuiti huic est reddita æterna damnatio, tanquam auaritiæ, luxuriæ, gulæ, & libidinis stipendium, sicut & Lazaro est, licet ex gratia, merito bonorum operum, scilicet patientiæ, longanimitatis, fidei, obedientiæ, tolerantia, passionūque reddita vita æterna, contra eorum sententiam, qui alicuius meriti esse negāt opera bona. Cæterum ex iis quæ amorū mortē sunt subsecuta, apertissimè animæ immortalitatem conuincit contra inanos eorum errores, qui putant omnia morte deleri. Proinde cū, ut inquit Augustin. nihil faciat malam mortem, nisi quod sequitur mortē: nec mala mors sequi potest, vbi bona vita præcessit, sermone 24. de verbis Domini. Ergo splendida sepultura diuitis nihil superbo diuiti contulit ad salutem, siquidem curatio funeris, inquit Augustin. conditio sepulture, pompa exequiarum, magis sunt solatia viuorum, quàm subsidia mortuorum. Si enim aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla, Augustin. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 12. Abiecta verò pauperis nihil inopi Lazaro obfuit: licet enim humana decissent exequiarum seu parentalium subsidia, aderant tamen Angelica ministeria, quo vel solo argumento eorum respondere possumus errori, qui negligenda fidelium corpora putant: sunt enim fidelium in Christo dormientiū corpora sancta, propterea quòd Spiritus sancti ea inhabitantis fuerint organa: ac proinde non ne-

*Sepulture  
edidio et pō  
pæ exequia-  
rum, magis  
sunt solatia  
viuorum,  
quàm subsi-  
dia mortuo-  
rum.*

conditio sepulture, pompa exequiarum, magis sunt solatia viuorum, quàm subsidia mortuorum. Si enim aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla, Augustin. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 12. Abiecta verò pauperis nihil inopi Lazaro obfuit: licet enim humana decissent exequiarum seu parentalium subsidia, aderant tamen Angelica ministeria, quo vel solo argumento eorum respondere possumus errori, qui negligenda fidelium corpora putant: sunt enim fidelium in Christo dormientiū corpora sancta, propterea quòd Spiritus sancti ea inhabitantis fuerint organa: ac proinde non ne-

gligēda, maximè verò propter sōe resurrectionis. Siqui dē, vt idem inquit Aug. omnes illæ scripturarum auctoritates, quibus sepulturæ cura commendatur, non hoc admonent quòd vllus insit sensus cadaueribus, sed ad Dei prouidentiam, cui talia placent etiam pietatis officia, corpora quòque mortuorū pertinere significāt, propter fidem resurrectionis adstruendam, lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 12. Item cap. 3. lib. de Cura pro mortuis.

3 Tertiò, Dialogismo, quo serā huius diuitis pœnitentiam describit, petentis ab Abrahamo sibi misereri, Lazarum ad se mitti, aquæ gutta refrigerari, & flammæ cruciatu liberari, ostendit Christus illud esse verissimū quod habet Ecclesiastici 14. ante obitum operandam esse iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum: irrita enim ea omnis est pœnitentia, quæ mortem sequitur secundam. Derogat enim iustitiæ, & æquitati diuinæ, quisquis damnatis suam prodesse posse pœnitentiam credit, aut pro ipsis Deo supplicat. Neque tamen propterea irritas esse quis opinetur Ecclesiæ preces, quas illa quotidie Deo pro defunctis certa fide effundit: sed iis quos in Domino mori credit: nam pro iis qui peccant peccato ad mortem nō orat. sed quia quoddam esse vitæ genus agnoscit non ita malum, vt iis omnino iuari possit. pro omnibus autē orat, & sacrificiū crucis Deo Patri, vt habet Aug. lib. 9. Confess. cap. 12. offert, occulto Dei iudicio relinquens, quibus prodesse ea possint. Errat enim quisquis ex hac scriptura enervare velit pro defunctis preces. siquidem de eo loquitur Christus, qui peccauerat peccato ad mortem: quare & sera illius fuit pœnitentia: qualis erit eorum quæ describitur Sapient. 5. Cruciabitur ergo post mortem, qui carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis non crucifixerit, vt scilicet, agat dignos pœnitentiæ fructus: huius enim vermis non morietur, & ignis non extinguetur. Contrā verò Lazarus, id est, fidelis quilibet iustificatus ex fide pacem habet, nactus oleum gaudij pro luctu, & pallium laudis pro spiritu mœroris, vt est Isaia 61.

4 Quartò, Responsione Abrahamæ solatiū, & refrigeriū negātis diuiti, etiā p fratribus deprecāti, ostēdit viuos nō

*Ante obitum iustitia operanda.*

*Orare debemus pro defunctis.*

FERIA SEPTIMA

egere pro vitæ suæ ratione instituenda, aut reuelationibus, aut apparitionibus spirituum. Habemus enim, vt inquit Petrus, firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacimus attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, 2. Pe. 1. Nunquid enim populus visum requireret pro viuus à mortuis? Ad legem & testimonium respiciendum monet Isaias cap. 8. Nam qui ad monitionibus scripturæ non crediderit, nec mortuorū reuelationi credet, quum ea plerunque incerta, & fallax sit: siquidem Angelus Satanæ subinde se transfigurat in Angelum lucis, 2. Cor. 11. Non enim cuilibet, sed ex singulari Spiritus sancti dono, datur discretio spirituum. Si enim hæc ansa præberetur dæmoni, nescio quem nõ fidelium ille facillè in suam massam pertraheret. Proinde quisquis Moysen, & Prophetas non audierit, sed pertinaci animositate resistere verbo Dei peccando etiam contra conscientiam, perrexerit, huic certè nullæ spirituum reuelationes proderunt, nisi ad maiorem obdurationem: vt videns non videat, & audiens non intelligat. Vtuntur aduersarij hoc loco, velut robustissimo ariete, quo putant sese inconcussam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam deiicere posse, qua docet sanctum esse & salubre pro de functis exorare, vt a peccatis soluantur. Sublatis enim, inquiunt, apparitionibus vanis spirituum, intercedant necesse est Papisticæ vigiliæ, preces, oblationes, sacrificia, ac denique quæstus omnis sacrificulorum. Quasi verò hæc sanctissima fidei doctrina imaginariis, & falsis, ac dæmoniis niteretur apparitionibus, ac non potius solido Dei verbo, Apostolorum prædicationi, veteris Ecclesiæ authoritati & consuetudini. Apparitiones tamen spirituum humanorum è corporibus defunctorum Dei permissu quandoque fieri credit Ecclesia Christi, vt videre est apud Augustinum lib. de Cura pro mortuis cap. 11. lib. de spiritu & anima cap. 29. vbi docet has per diuinam potentiam quandoque certis de causis fieri. Vide etiam lib. 12. de Genesi ad literam cap. 13.

FERIA SEPTIMA HEBDO-

MADAE SECUNDÆ QVADRA-

GESIMAE, EPISTOLA,

Genes. 37.